

SECUNDA CONTROVERŒIA GENERALIS

**DE CHRISTO**

QUINQUE LIBRIS EXPLICATA

## PRÆFATIO

### *De duplici genere hostium Divinitatis Christi.*

De Ecclesia Universa, quæ in terris, in purgatorio, et in cœlis est, disputaturus, a Christo summo Capite ac Principe Ecclesiæ totius initium faciendum esse duxi. Id enim ordo rerum tractandarum postulare videtur: tametsi non ignorem, a re omnium gravissima et difficillima principium me ducere. Nam, ut omittam rei ipsius, de qua nunc agendum est, præstantiam et magnitudinem, quæ tantum rebus omnibus, quas deinde tractaturi sumus, antecellit, quantum Ecclesiæ Catholicæ splendor et amplitudo ab immensa divini numinis luce et majestate superatur: genus certe hostium tam varium ac multiplex in hac concertatione nobis occurrit, ut cum eo reliqui adversarii nulla ex parte conferri posse videantur. Siquidem in aliis controversiis, quasi præliis utrinque indictis et proclamatis, hostes semper habebimus certos, notos, a fronte pugnantes, proprii Ducis insignia præferentes.

Jam vero in hac summa, quæ de Christo ipso instituitur, disceptatione res nobis futura est cum exercitibus duobus, quorum alter ex iis constat, qui se id quod sunt, hostes atque adversarios esse, et signa conferre, atque aperto Marte pugnare profitentur: alter est longe major; ex proditoribus et insidiatoribus comparatus; qui partim symbolis, ac nominibus ementitis in castris nostris contra nos armantur: partim in insidiis absconditi delitescunt, ut in medio ardore prælii nos circumveniant, atque tergo et lateribus adorianentur.

Et quoniam non parum ad victoriam refert insidias detegere, latebras aperire, ab amicis inimicos secernere, omnium denique hostium copias in conspectu habere, operæ pretium esse duxi, antequam ad ipsam dimicationem veniamus, castra hostium lustrare, præcipuorum Ducum nomina recognoscere, atque ad eos, si fieri poterit, eos omnes rejicere, qui cas-

tris nobiscum, animo cum adversariis juncti, sic in hostes tela conjicere videntur, ut nos interim feriant, et mira arte, quæ pro nobis sumpserant, eadem in nos arma convertant.

Ordiamur igitur, si placet, ab iis, qui Imperatoris nostri Christi Divinitatem et Majestatem oppugnant, et infelicissimo errore non se putant ad unici Patris gloriam, ut eleganter Augustinus ait, nisi per unici Filii contumeliam pervenire. In his castris duo sunt agmina, et quasi cornua præcipua.

Primi agminis Dux atque Imperator est Michael Servetus Hispanus. Is cum esset juvenis ferox atque audax, et in scholis Lutheranorum, quibus operam dabat, identidem repeti audiret, Verbum Dei non esse Patrum aut Ecclesiæ explicationi, sed spiritus solius testimonio atque judicio alligatum, cœpit et ipse spiritum jactare, et eo spiritu admonente admirari, cur Lutherani cum Papistis de Ecclesia et Sacramentis tantopere contenderent, de Christo ipso litem nullam haberent, atque ita cum dissentirent de corpore, de capite convenirent. Majora igitur moliri meditans, ac metuens ne ætas sibi ad faciendam fidem non parum obesset, annorum quippe erat solum quinque et viginti, quod ætati videbatur deesse, prophetici nominis auctoritate et majestate compensavit.

Itaque maxima tetri spiritus ubertate perfusus, summum se orbis terræ Prophetam nominavit, cujus appellationis testem habemus Calvinum in lib. IV. Institut. cap. 46. Hinc vero, prophetica libertate assumpta, libros illos eodem spiritu aspirante effudit, quos inscripsit: De erroribus Trinitatis: quorum librorum summa hæc est, nullam esse in Deo distinctionem personalem, et Christum Dei Filium appellari, quod ex ipsa Dei substantia caro ejus in utero Virginis concepta et confirmata sit; ita paucissimis verbis, et personarum Trinitatem destruxit cum Sabellio, et Christi naturas confudit, atque Incarnationem sustulit cum Euty-chete.

Exitum vero si quis requirat, talem Servetus invenit, qualem ejus impietas et scelera postulabant. Nam in media Genevensium urbe igni traditus, non constanter atque alacriter, ut sancti olim Martyres solebant, sed tam iniquo atque impatienti animo supplicium pertulit, ut, Calvinus ipso teste, qui historiam mortis ejus conscripsit, magnis clamoribus, sive, ut ipse ait, magno boatu gladium flagilaret. Sed cum in judices plane inexorabiles incidisset, tandem aliquando est longissimo illo acerbissimoque dolore consumptus, anno 1553.

Hunc duces et principem secuti sunt Georgius Blandrata, Paulus Alciatus, Lelius Sozinus, Franciscus David, et omnis illa Ministrorum

colluvies, quæ nunc in Transylvania erroris sui sedem constituit, et Ecclesiarum consentientium titulum sibi assumit: quæ quidem et publicis disputationibus, et libris etiam editis, omnes veteres Patres, omniaque antiqua Concilia, et ipsum orbem terrarum, qui per annos 1580, tres in Deo personas, duas in Christo naturas credidit, Tritheismi damnare, Sophisticæ accusare, atque ad Antichristum rejicere impudentissime audet.

Alterius agminis princeps est Valentinus Gentilis Italus. Hic primum studio rerum novarum ex patria sua Consentia Genevam ad Calvinum venit, fama Calvinianæ eruditionis, ut ipse dicebat, in primis permotus, sed non diu inter discipulos, atque auditores se numerari passus est: cum enim et ipse spiritu abundaret, et æque ac Servetus moleste ferret, quod Ecclesiæ reformate adhuc in fide Trinitatis cum Papistis convenirent, nec tamen Serveti discipulus dici, aut spiritum suum spiritui ejus subjicere dignaretur, novam excogitavit sententiam, quæ et cum Servetiana non consentiret, et tamen penitus a Catholica discreparet.

Itaque asseruit, veram esse in Deo non modo personarum, sed etiam naturarum Trinitatem, sic ut tres sint divini ac sempiterni Spiritus essentiali numero differentes. Quæ sententia Philoponi quondam fuisse dicitur, si vera sunt, quæ de ejus erroribus Suidas et Nicephorus scripta reliquerunt. Hunc igitur lapidem primum Valentinus offendit, sed cum animadverteret hanc Deorum Trinitatem non posse ex divinis litteris ulla ratione defendi, cum nihil in Scripturis frequentius inculcetur, ac repetatur, quam unum et solum esse Deum, extra quem, præter quem, ante quem, post quem, cum quo nullus omnino sit alius Deus; mutata sententia, paulatim ad Arianismum delapsus est. Nam, ut ex variis confessionibus et prothesibus ejus, quæ in manibus sunt, cognosci potest, Dei patris proprium esse statuit, ut unus et solus appelletur Deus, eumque esse solum illum summum atque altissimum Deum, quem nobis passim sacræ Litteræ prædicant. Atque hunc eundem solum Patrem esse ipsam veram essentiam, et naturam Divinitatis. Porro Filium et Spiritum sanctum non esse essentiam divinam, sed essentiæ proles, et proles ipsa essentia longe inferiores, atque, ut ipse loquitur, pro modulo generationis, vel propagationis definitas, atque circumscriptas.

Cum igitur ille Genevæ ab insano illo spiritu impulsus, in renovando Arianismo occupatus esset, interim ab alio spiritu Calvinus agitur, ut se Valentino opponat, sic inter se dæmonibus colludentibus. Valentinus fit reus hæreseos apud tribunal hæretici Magistratus, ubi metuens Valentinus Calvini severitatem, et ad memoriam revocans incendium illud formido-

losum, quo in eadem Urbe, eodem auctore Calvino, Servetus paulo ante perierat, ut tempori serviret, errorem se suum agnoscere simulavit. Itaque ex sententia Judicum ad pœnitentiam publicam damnatus, depositis vestibus, solo excepto indusio, nudis pedibus, detecto capite, facem accensam manu gestans, præeunte præcone, totam urbem sic obivit: deinde a Magistratu supples veniam petit, librum ipse suum in ignem abiecit, ac jurejurando promisit, non abiturum se Gneeva, nisi prius a Magistratu veniam impetraret.

Sed præclarus iste Apostolus Arianus, postquam tam insigni palinodia, et inconstantia nascentem Arianismum decoraverat, voluit etiam eundem ornare perjurio. Quare Geneva clanculum se proripuit, et cum apud Gallos, Helvetios, Polonos, aliasque gentes Arianismum suum propagare conatus esset, et ad primum perjurium, alterum, ac tertium addidisset, tandem anno undecimo a morte Serveti apud Bernam Helvetiorum, a Zwinglianis comprehensus, et capitis damnatus, meritis suæ temeritatis pœnas dedit, qui tametsi, dum in vinculis et carcere servabatur, se Martyrem primum suæ sectæ esse jactaret ac diceret, Martyres ceteros pro Christi gloria mortuos, se autem primum omnium pro eminentia Dei Patris mortem oppetere; tamen ubi nuntium mortis accepit, ita expavit, atque expalluit, ut omnes omnino aditus supplicii evadendi quæsierit, paratus etiam doctrinam suam contemnere, si judicum animos inflectere potuisset. Exstant acta publica Genevensium in causa Valentini, necnon integra historia de supplicio ejusdem a Bernensi Pastore conscripta. Ex quibus hæc pauca, quæ sunt commemorata collegimus.

Neque vero feliciorum exitum sortiti sunt Gentilis Symmistæ, atque Collegæ Matthæus Gribaldus, Franciscus Lismaninus, atque alii, de quibus multa Theodorus Beza, præfatione ad librum Calvini adversus Gentilem. Siquidem Gribaldus peste correptus, atque ab omnibus desertus, ut canis interit. Lismaninus Apostata Franciscanus in puteum semet præcipitem dedit. Franciscus David in vinculis agens, et in amentiam ac furorem versus ex hac vita migravit. Unus est Jacobus Palæologus, qui singulari Dei benignitate, anno 1585, in urbe Roma, post multas disputationes et colloquia, tandem ad sanitatem rediit, et omnibus erroribus publice revocatis, Ecclesiæ Dei reconciliatus est. Reliqui parentis sui Arianis probrosum mortem imitati, infelicissime perierunt.

Porro genus hoc hominum tam aperte, tam libere, tam audacter, tam impudenter Arianismum, vel eo pejorem Paulianismum renovat, ut ipse Gentilis trium personarum ejusdem essentiæ Trinitatem, novum idolum, turrim Babel, Deum fictitium ac Sophisticum appellare non dubitaverit;

Gregorius Paulus unam Dei essentiam, sive unum Deum in tribus personis, Satanæ stratagemata esse dixerit: Michael Servetus (quod certe horret animus cogitare) Cerberum tricripitem, et tricorporeum Gerionem sacrosanctam Trinitatem appellaverit; Georgius Niger Symbolum Athanasii Satanasi Symbolum appellandum censuerit: in publico colloquio Petricoviæ habito, Poloni Ministri Nicænum Concilium improbaverint; Athanasium, Augustinum, aliosque Patres Catholicos repudiaverint; Constantinum, Gratianum, Theodosium pios Imperatores vituperaverint, et contra dolere se dixerint propter casum Arianorum in eodem Concilio damnatorum, ac demum amplissime laudaverint tam ipsum Arium discipulosque ejus, quam Constantium Cæsarem fautorem Arianorum. Denique Franciscus David (ut ex epistola Blandratæ refertur in confutatione judicii Polonicarum Ecclesiarum) eo usque progressus fuerit, ut diceret, sepeliendum esse Evangelium, et revertendum ad Moysen, ad Legem, et ad Circumcisionem: Moysen, et Moysis doctrinam esse lineam rectam: Christum autem Jesum, et ejus doctrinam indirectam. Neque voce solum et scriptis, sed etiam depictis tabellis fidem suam toti orbi terrarum testatam esse voluerunt.

Prodiit enim nuper tabula ex ipsorum officina, in qua Ecclesia Catholica instar magni ædificii depicta cernitur, in cujus tecto Lutherus sedet cum suis, tegulasque et lateres longe projicit. Inde nudato jam tecto, Zwinglius cum cohorte Sacramentariorum parietes magna vi demoliri pergit: sed ad fundamentum eruendum, atque adeo domum totam funditus evertendam ipsi Tritheistæ, novique Ariani armati malleis, et lignibus, omnique genere ferramentorum diligenter incumbunt, obliti videlicet Evangelicam illam, atque fidelissimam Christi vocem: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam et porte inferi non prævalebunt adversus eam.* Sed de prioribus hostium copiis satis multa, ni fallor, dicta sunt.

Veniamus ad posteriores. Rem magnam, ac pene incredibilem dicturus sum, sed nolo mihi prius fidem haberi, quam rem totam Solis luce clariorem effecerō. Consurgunt hoc tempore undique Lutherani, Brentiani, Melancthonici, Zwingliani, Calvinistæ, adversus Tritheistas: per omnem Germaniam, Galliam, Poloniam libri volitant contra Servetum, contra Gentilem, contra Blandratam, contra Gregorium Paulum, contra Ministros in Polonia atque Hungaria, vel Arianos, vel Samosatenos; novam hanc doctrinam quasi signum quoddam in medio propositum confodiunt telis librorum suorum. Ex Geneva, Calvinus et Beza; Ex Wittembergæ, Philippus Melancthon; Ex Tiguro, Simlerus ac Bullingerus; Ex

Berna, Benedictus Aretius; Ex Lipsia, Alexander Alesius; Ex Marpurgo, Andreas Hyperius; Ex Polonia, Stanislaus Sarnitius; Ex Hungaria, Petrus Melius. Aliis ex locis, Joannes Wigandus, Jacobus Scheckius, Franciscus Stancarus, et quis non? Atque hi omnes cum Papistis de Trinitate sentire, sex prima Concilia venerari, veteres Patres cum honore recipere, Sabelliam, Samosatenum, Arium, Nestorium, Eutychem, omnesque hæreticos detestari se dicunt. Quis igitur non mirabitur, si tam istos, quam eos, quos ipsi pro magistris et quasi Prophetis colunt, Erasmum ac Lutherum, vel Arianos, vel Sabellianos, vel Nestorianos, vel Eutychianos fuisse, demonstrare potuero?

Incipiamus ab Erasmo, quem Hungarici Ministri, in eo libro quem anno 1567, Joanni Regi obtulerunt, præcursorem Prophetæ sui Serveti non sine causa nominaverunt. Erasmus igitur in scholiis Tomi III. Epistolarum S. Hieronymi, Arianos dicit non tam hæresim docuisse, quam schismata fecisse, cum essent illi nostris numero fere pares, eloquentia, doctrinaque superiores. En patronum egregium Arianorum, qui ab hæresi illos vindicat, et doctores Catholicis facit: quid restabat aliud, nisi ut Arianos Catholicos, et Catholicos hæreticos diceret? Sed pergamus ad alia.

Præfatione in libros Hilarii: « Audemus, inquit Erasmus, Spiritum sanctum appellare Deum, quod Veteres ausi non sunt. » O mendacium incredibile! Nonne Hilarius ipse, in quem præfariis, ad finem librorum de Trinitate Spiritum sanctum rem creatam esse negat? et si res creata non est, quid aliud, quæso, quam Deus est? Nonne Athanasius in disputatione cum Ario; Basilius libro De Spiritu sancto cap. 46; Nazianzenus Oratione in Heronem; Didymus in primo De Spiritu sancto; Ambrosius lib. III. De Spiritu sancto cap. 2. Augustinus lib. I. Contra Maximinum; Nyssenus in libro Quod Spiritus sanctus sit Deus, et cæteri Patres omnes, et clarissime, et frequentissime Spiritum sanctum Deum nominant? Sed cætera videamus.

Annotatione in illud Roman. IX. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Mirum est quid non agat Erasmus, quo se non vertat, quid non moliat, ut hoc telum de manibus nobis extorqueat. Primum vocem (*Deus*) supposititiam vult videri. Deinde ait hunc locum non esse efficacem ad revincendos Arianos, Denique sic optime exponi posse docet, ut post illa verba: *Ex quibus est Christus secundum carnem* interposito puncto, sequatur actio gratiarum *super omnia Deus*, videlicet Pater, *sit benedictus in sæcula.* An poterat manifestius Arianam causam suscipere defendendam?

Annotatione in illud Ephes. V. *In regno Christi et Dei.* « Verum, inquit, id alias admonuimus, Patrem ex consuetudine sermonis Apostolici significari, quoties Deus absolute nominatur. At hoc cum favet Arianis plurimum, tum est falsum apertissime. Certe enim, ut alia interim loca præteream Actor. XX. cum Paulus ait: *Regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*, non Patrem, sed Filium Deum absolute vocat.

Annotatione item ad illud Philipp. II. : *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*: Primum cum Maximino Arianis exponit: « Non usurpavit sibi cum Deo æqualitatem. » Deinde addit: « Scio magnos auctores, Hilarium, Augustinum, ut cæteros liceam, sic interpretari, *Non rapinam arbitratus est*, quod esset æqualis Deo: nam quod erat naturæ, non potuit esse rapinæ, cum esset in forma Dei, hoc est, cum vere esset Deus: atque hanc præcipuam habent clavam, qua conficiantur Ariani, qui solum Patrem vere volunt esse Deum. Atqui si veris agere fas est, quid magni tribuit Paulus Christo, si cum Deus esset natura, intellexit id non esse rapinæ, hoc est, novit seipsum? Illud autem compertum est, nusquam majorem vim fieri Scripturis sacris, quam ubi cum hæreticis agentes nihil non detorqueamus ad victoriam, tametsi non video quid hic locus proprie faciat adversus Arianos. » Quæso te, Erasme, si mercedem ab Arianis accepisses, poterasne diligentius causam illorum agere? Augustini Catholicam explicationem refellis, Maximini Arianam amplecteris. Hunc locum præcipuam esse clavam nihil valere dicis; quid ergo restat, ut dicas, nisi meliorem esse causam Catholicorum contra Arium non negas, et tamen hanc ipsam clavam nihil valere dicis; quid ergo restat ut dicas, nisi meliorem esse causam Arianorum, quam Catholicorum? Quid si tuam illam Annotationem his addamus, quam fecisti ad postremum caput epistolæ primæ sancti Joannis? nonne eo loco totis viribus contendis verba Domini: *Ego et Pater unum sumus*: et illa discipuli: *Et hi tres unum sunt*, non de unitate naturæ, cum omnibus Patribus, sed de vinculo charitatis, cum Arianis intelligi debere? et in operibus sancti Augustini ad marginem libri primi contra Maximinum, ubi una atque eadem asseritur Dei natura, quis notationem illam adjecit, *non una numero*, nisi Erasmus? et quid manifestius dixerunt unquam Tritheistæ?

Sed mittamus Erasmum, atque ad Lutheram veniamus. Martinus igitur Lutherus contra Jacobum Latomum scribens: « Anima mea, inquit, odit hoc verbum *ἰσοότητος*. » Quid, quæso, vel sentiret, vel diceret aliud Arius, si ab inferis nunc existeret? Nam tota illa tragœdia, quæ Ecclesiam tot annis misere vexavit, ac vastavit, propter hanc unam vocem excitata

est; cum Patres Catholici nihil aliud suis libris et Conciliis conarentur, quam hanc sententiam stabilire, quæ Christum homousion Patri esse docet. Hæretici contra nihil aliud decem conciliabulis suis, igne quoque et ferro, armis et exercitiis molirentur, quam vocem hanc eandem abolere.

Sed audiamus inauditam calumniam et mendacium ejusdem Lutheri. In eodem contra Latomum libro affirmat, hanc ipsam vocem S. Hieronymo displicuisse, quod nescio quid veneni latere in syllabo arbitraretur. Neque hoc Luthero per incogitantiam, aut lapsum calami excidisse putemus: id enim rursus repetit in libro De Conciliis in hæc verba: « Sanctus Hieronymus vehementer perturbatus lamentabiles litteras scribebat ad Episcopum Romanum Damasum, et cupiebat expungi vocabulum *homoousion*. » Quid faciemus hominibus istis, qui causam non queunt tueri suam, nisi fraudibus et mendaciis? Nam S. Hieronymus eo loco, quem Lutherus adducit, qui est in epistola priore ad Damasum de hypostasibus, in voce hypostasis, non in voce homousios, venenum latere dicit, quod ea vox ambigua sit, et tam personam, quam substantiam significare possit. Tantumque abest, ut S. Hieronymo vox homousios displicuerit, ut potius solo metu, ne ea vox nobis eriperetur ab Arianis, tres hypostasies dicere formidaverit. Itaque epistolam totam in hæc verba concludit: « Obtestor beatitudinem tuam per crucifixum mundi salutem per homousion Trinitatem, ut mihi epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas. »

Quid, quod non solum nomen homousios, sed etiam nomen Trinitatis Luthero displicuit, et ex Germanorum precibus illam precandi formulam submovit: *Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.*

Quid, quod non solum Ario, sed etiam Nestorio et Eutycheti plurimum Lutherus favit? Nam in magnis Postillis, in Concione de Natali Domini, imperitos quosdam, ait, Christum facere hominem omnipotentem. Quid autem est aliud, non esse Christum hominem omnipotentem, quam non esse Christum hominem Deum, sed duas esse in Christo personas, ut quondam impius hæresiarcha Nestorius prædicavit? In libro vero de Conciliis part. 2. « Mihi, inquit, paulo ante negotium fuit cum Nestorianis, qui pertinacissime contra me disputabant, quod Divinitas Christi non possit pati. » Et infra: « Oportet, inquit, dici hic homo Christus, hæc caro et sanguis condidit cælum et terram. » Certe nomina divinitatis et carnis nomina sunt naturarum, non personarum; ergo si Luthero divinitas patitur, si caro cælum et terram condidit; quis non videat a Luthero Christi naturas cum Eutychete confundi?

Ac, ut propensionem animi Lutheri in hos summos duos hæresiarchas planius perspiciamus, in illo eodem de Conciliis libro, Nestorium et Eutychetem ex inscitia solum aliqua, et in modo loquendi lapsos dicit: nam alioqui utrique zelum bonum, animum sincerum, et fidem rectam tribuit. Totam vero causam tumultus, et tragœdiarum illo tempore excitatarum in Episcopos Catholicos, Leonem videlicet et Cyrillum refert, et eo usque tandem progreditur, ut dicat vereri se, ne in extremo judicio aliqui hæretici sedeant iudices; et Episcopi, qui eos in Conciliis damnaverunt, in æternum pereant; tantum non aperte dicens, Nestorium et Eutychetem cum Christo iudices futuros; sanctos vero Cyrillum et Leonem in æternum perituros. Non vacat mihi hæc portenta exagitare, nec est opus, cum ipsa per se satis aperte clamant. Unum tantum addam: si Nestorius zelum tam bonum, et animum tam sincerum habuit, cur, ut Evagrius refert lib. I, cap. 7. historiæ suæ, viventi Nestorio linguam totam vermes divinitus immissi tam horribiliter corroserunt?

Transeamus ad Melanchthonem. Philippus Melanchthon in Locis communibus anno 59. in lucem editis fol. 8. « Necesse est, inquit, in Filio aliquid esse divinæ naturæ. » Et rursus fol. 40. « Necesse est in Christo aliquam esse divinam naturam. » Et in locis anni 43. fol. 33. de Spiritu sancto verba faciens: « Testatur, inquit, per Joëlem Deus, non mitti creatam agitationem, sed aliquid essentiae Dei. Necesse est autem personam esse distinctam quæ est aliquid Dei, et tamen non est Pater. » Philippo igitur aut nullæ sunt naturæ divinæ, et habent quod volunt novi Tritheistæ, aut certe multæ sunt partes divinæ naturæ, quæ est antiqua illa hæresis aliquanto Ariana absurdior, de qua sic olim Augustinus in libro De hæresibus cap. 74. « Est, inquit, alia hæresis quæ triforem sic asserit Deum, ut quædam pars ejus sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus. » Porro in locis ejusdem anni 43. idem Philippus: « Non est quidem, inquit, lacerata, aut mortua divina natura, sed fuit obediens Patri, quievit, cessit iræ æterni Patris. » Quid clarius pro Ariana hæresi dici poterat? Nam si natura divina Filii Patri fuit obediens, certe non est una Patris et Filii natura, nec est Deus Filius Deo Patri æqualis: qua sententia nihil jucundius novi Ariani audire potuerunt.

Sed jam si placet Calvinum inspiciamus. Is igitur in libro adversus Gentilem, in refutatione decimæ protheseos, non veretur Valentino concedere nomen Dei *κατὰ ὑπεροχὴν*, id est, per excellentiam quamdam soli Patri attribui: at si Pater est per excellentiam Deus, quomodo non major est Filio? Rursus ibidem affirmat, non esse veritati contrariam sententiam illam Gentilis, Deum habuisse vim generandi Filium, ac propagandi Spi-

ritum sanctum, quia voluit: ad Deum quidem volentem genuisse Filium, non absurde dicitur: sed genuisse quia voluit, et quod absurdus est, vim habuisse gignendi quia voluit; quis quæso sanus diceret? Ac si Filium suum Deus propterea genuit, quia voluit; non igitur necessario genuit; non est igitur Filius Patri æqualis. Nam quæ ratione fieri potest, ut qui potuit non esse, æqualis sit ei, qui necessario semper est?

Quid, quod in libro eodem idem Calvinus ait, Filium personæ respectu non nisi improprie creatorem cœli et terræ nominari, Patrem autem proprie? quod quid est aliud, quam Filium redigere in ordinem rerum creaturarum? Estne hoc defendere, an proderet causam Fidei? patrocinari, an prævaricari? hæreticum refellere, an cum eo jocari, et ludere? Quid, quod ibidem ait, improprie ac duram esse locutionem Symboli Nicæni: *Deum de Deo, lumen de lumine?* quod jam olim in Ario apud S. Vigilium his verbis Athanasius reprehendit: « Proprie Filius, inquit, proprie est Deus de Deo, lumen de lumine. » Jam vero in lib. Institutionum II. cap. 14. verba illa Apostoli Pauli: *Tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui subiecit sibi omnia*: ad utramque Filii naturam, videlicet, divinam et humanam referenda esse contendit, nec animadvertere potuit, aut voluit, non posse naturam divinam Filii Deo Patri subjectam intelligi, quin a Patris natura distincta, et ea longe inferior, atque adeo res creata esse intelligatur. His accedit, quod per multa Scripturæ loca, ac præsertim illum: *Ego et Pater unum sumus*, ita Calvinus hæretico more exponit, ut novi Samosatani in publica disputatione de sententia hujus loci Calvinum judicem appellaverint. Multa restant dicenda, ego tamen brevitati studere cupio; itaque cæterorum errores indicabo potius, quam explicabo.

Henricum Bullingerum Zwinglii successorem non puit scribere in libro De Scripturæ, et Ecclesiæ auctoritate, tres esse in divinitate personas; non statu sed gradu; non subsistentia, sed forma; non potestate, sed specie differentes. Certe personas divinas, gradu, forma, et specie esse differentes, vix Ariani ipsi dicere ausi essent.

Jam vero Petrus Melius, is qui in Transylvania pro Lutheranis adversus Blandratam, et Franciscum Davidem totos decem dies publice disputavit, in actione octava sic ait: « Scriptura distinguit Filium Dei a Filio hominis. » Et rursus: « Distinguitur, inquit, Filius ille æqualis Patri ab eo, qui non est æqualis. »

Quod idem Theodorus Beza confirmasse videtur, tum in libro contra Brentium de omnipotentia carnis Christi, tum in altero contra Andream

Jacobi, de hypostatica unione duarum in Christo naturarum: ubi apertissime docet, duas esse in Christo hypostaticas uniones, unam carnis cum anima, alteram Dei cum homine. Quod quid est aliud quam Nestorium jamdudum sepultum ad inferis revocare?

Stanislaus Sarnicius, quem Calvinus in epistolis ad Polonos mirifice laudat, cum in colloquio publico resideret, palam asseruit, et scribere etiam imperavit, solam divinam Christi naturam Pontificem esse, et sacerdotem: humanam vero victimam, et sacrificium: ac propterea ratione officii, minorem esse Patre Filium, etiam in natura divina. Atqui hæc ipsa verba legi possunt apud sanctum Augustinum in sermon. Arian. proposit. 53. Ita pulchre nimirum Calvinistæ, dum Arianos novos oppugnare se dicunt, Arianorum veterum et verba et sententias imitantur.

Jacobus Scheckius Brentianus in libro contra Tritheistas tam egregie Fidem propugnat, ut tamen dici nolit, tres esse in Deos hypostases, sed unam tantum cum tribus potentiis. At hoc non est vincere Arianos, sed vinci ac debellari a Sabellianis.

Joannes Wigandus in libro contra novos Arianos, Lutheri sententiam approbat, ac defendit, essentiam in divinis generare ac generari: Ex qua tamen sententia, velit nolit Wigandus, efficitur, aliam Patris, aliam Filii esse naturam, cum nihil possit seipsum gignere, nihil a seipso generari possit.

Quid jam de Brentio, Schmidelino, Kemnitio, ac cæteris dicam, qui dum in Christi carnem, omnipotentiam, omnipresentiam, omniaque divina attributa conferunt, eam sine dubio cum divinitate confundunt? Quid item de Stancaro, ejusque sectatoribus, qui sic ad solum hominem Christum officium Mediatoris referunt, ut duas in Christo personas distinguere, ac ad castra Nestorii transire velle videantur?

Quid denique de Tigurinis, Genevensibusque Ministris, qui tanto ardore in Stancarum invehuntur, ut interim ad scopulum ipsi longe duriores naviculam suam allidant? Dum enim utrique nature Christi Mediatoris officia tribuunt, divinam Christi naturam, et a Patris natura distinguunt, et rem creatam cum Arianis faciunt.

Quæ cum ita sint, vides, credo, Lector, non minus hoc tempore cum Sabellio, Ario, Nestorio, Eutyчете sentire Servetum, Gentilem, Blandratam, et cæteros qui palam se eos sectari ac defendere profitentur, quam Erasmus, Lutherum, Philippum, Calvinum, Bullingerum, Martyrem, Brentium, Bezam, Sarnicium, Scheckium, Wigandum, aliosque omnes qui eosdem se odisse ac detestari vociferantur. Sed si vere, et ex animo eos

execrarentur, non possent etiam ipsi se doctrinamque suam non execrari, cum id sane negare non possint, se illis ad progrediendum in castra Ariatorum non modo occasionem aliquam dedisse, sed etiam portam latissimam patefecisse.

Quid enim, quæso, Lutherani et Calvinistæ respondeant, si cum eis ita agant Tritheistæ. Cur nos filios vestros tanto furore parentes vexatis? Cur ferro et igne persequimini quos genuistis? Cur tam iniquo animo Evangelii vestri fructus colligitis? Nulli certe ex Papistis Ariani fiunt, sed quotquot Ariani sumus, ex vobis Lutherani et Calvinistæ, omnes prodivimus. A vobis sane, non a Papistis didicimus, nihil omnino credendum esse, quod expresse in sanctis Litteris non habeatur. Quia vero homo-  
sion, Trinitatem, essentiam, personam, relationem, proprietatem in Scripturis expresse non legimus, hæc omnia damnare coacti sumus. A vobis didicimus, neque Patrum, neque Conciliorum, neque totius Ecclesie, sed solius spiritus acquiescendum esse iudicio. Nobis autem hoc spiritus dictat, nec possumus salva conscientia aliud credere, vel dicere. A vobis didicimus, Papam Antichristum, Episcopos, Monachos, Papistas denique omnes ad Antichristi membra pertinere. Quis autem credat Antichristum de Christo recte credere? ab Antichristo verum Christum prædicari? ergo si nobis constare vellemus, alium Christum quærere debuimus. A vobis denique, non a Papistis didicimus, divinitatem Filii Patri obedire, illi sacrificare, et pati, et mori posse, aliaque sexcenta generis ejusdem; ex quibus profecto, nisi stipites essemus, omnia quæ nunc docemus, colligere debuimus. Quid ad hæc respondere debeant Lutherani, ipsi cogitandum relinquemus. Nos vero quæ nostræ partes sunt, Deo bene juvante operam dabimus, ut hæc tam blasphema, et horribilia dogmata, quæ Fidem Christianam funditus evertunt, quæque ad Mahumetismum viam sternunt ac muniunt, quam accuratissime, ac luculentissime fieri potest refellamus (1).

(1) Ut optime dignoscatur disputationum ordo, ad tabulas, ad calcem voluminis positas recurrendum est.

## CONTROVERSIARUM

# DE CHRISTO

## LIBER PRIMUS

### UBI AGITUR DE EJUS DIVINITATE.

#### CAPUT I.

*Explicatur sententia novorum Samosatensium.*

Quod ad primum attinet. Auctor novorum Samosatensium fuit Michael Servetus, qui innotescere capit anno 1532, teste Surio: Anno vero 1555, Genevæ combustus est. Secuti sunt eum qui nunc in Transylvania præcipue sedem habent; quorum principes erant, Georgius Blandrata, qui adhuc vivit, et Franciscus David, qui anno 1580. cum Christum negaret esse invocandum, aut Ecclesie curam habere, a Principe Transylvanie ad perpetuos carceres damnatus fuerat, sed paulo post in phrenesim incidit, et post biduum extinctus est.

Sententia Servetianorum tria docet, et composita est ex tribus antiquis hæresibus. Primo asserit, nullam esse in Deo distinctionem personalem. Ita Servet. lib. V. Trinit. pag. 189. Et in respons. ad art. I. Et Ministri Transylvani lib. II. cap. 4. Quod idem olim docuerunt Hermogenes, Praxeas, Noetus, Sabellius. Quorum omnium meminit Augustinus lib. I. De hæres. cap. 41. Ac deinde etiam Paulus Samosatenus, et Photinus, teste Hilario, lib. De Synod. Secundo asserit, Christum ante incarnationem nihil fuisse, nisi in mente Dei per ideam. Ita Servetus lib. III. Trinit. pag. 92. Et Ministri Hungarici lib. II. cap. 3. Quod idem olim docuerunt Ebion, et Cerinthus apud Irenæum lib. I. cap. 25. et 26. Et deinde Paulus Sa-

mosatenus, ac Photinus apud Augustinum hæres. 44. et 45. Tertio asserit, Christo homini communicatam a Deo divinitatem, non per generationem æternam, sed per unctionem gratiæ et inhabitationem, ac proinde posse Christum dici Deum, sed Deum factum et temporalem, non æternum. Ita Blandrata disput. 6. Albana, et Ministri lib. II. cap. 7. Quod idem olim docuit Nestorius apud Theodoretum lib. IV. hæret. fabul.

Ac in his quidem omnes novi Samosateni conveniunt. Dissident autem inter se de invocatione Jesu Christi, et in tres quasi sectas divisi sunt. Nam Franciscus David et multi ex Hungaricis Ministris docent, Jesum Christum non esse invocandum, sed solum Patrem, qui solus est verus Deus, et solus hoc tempore curam Ecclesie gerit. Exstant theses de hac re Francisci Davidis, et responsio ejusdem ad rationes Fausti Socini, qui theses illas confutaverat. Ipse autem Faustus asserit in confutatione jam allegata, Christum in precibus invocari posse, sed tamen addit, majoris esse perfectionis ad Deum Patrem recta accedere.

Denique Georgius Blandrata in thesibus, et Ministri Poloni in iudicio quod ediderunt de causa Francisci Davidis, docent, Jesum Christum non modo invocandum esse, sed etiam debere invocari: nec esse imperfectionem ad eum confugere. Accidit autem peropportuna hæc eorum dissensio, non solum quia, ut ait S. Hilarius, bellum hæreticorum pax est Ecclesie, sed etiam quia utraque pars ad miras angustias redigi cepit. Nam qui Christum invocandum esse docent, proferunt plusquam quinquaginta testimonia Scripturæ, quibus adversarios repugnare